OLAI
RA.
SII.


Vacandum Studiis.
Ex Bibliotheca
VALENTINI SCHLIEFF
Gedani.

Henrici Nicolai.

1. Gymnasium Logicum repetitum
2. Exercitatio de Cognitione humana universa.
3. Tr. de Esse alicubi seu Ubietate.
4. Pro methodo Trinitatis aliisq. materiis Apologia.
5. Quadrigatus expensus seu Consideratio quadrigae quaestionum de Syncretismo nonneminis Wittebergae emissae.
6. Exercitatio de Prudentia Theologica.
7. Exerc. de Obedientia tam Civili quam Spirituali.

D. O. M. A.

Gymnasij Logici repetiti

DIATRIBE VIII.

DE

PROPOSITIONIS DIVISIONE

Disputationis loco

Ad Sententiarum collationem in Gymnasio Dantiscano proposita.

PRÆSIDE

HENRICO NICOLAI

Philosophiæ Professore Publico.

Respondentis partes obtinente

CONRADO NEVVENFELT

Dantiscano Borusso. Ampliss. scabinatûs Alumno.

Ad diem 10. Decembris, S. N.

In Auditorio Philosophico.

Horis ab 8. matutinis.

DANTISCI, Typis GEORGI RHETI,

Anno M. DC. XXXIX.

Gymnasii Logici repetiti
Diatribe VIII.
De propositionis divisione.

1.

V*Aldè interdum dividendum; non animi vel argutiarum causâ: sed quòd usu compertum, nihil ad methodum, viam, rationemq́ discendi vel docendi efficacius esse. Itaq́ Socrates aliquando sequendus, divisioni amicus, & cum illo divinus vir habendus, qui commodè & opportunè utetur. Eleganter* Lipsius C: 3. mis. ep. 61. *In præsenti de* propositionis naturâ *ad explicandam pleniùs ejus indolem copiosa divisionis in propositione materia se oblatura est, quam variantes ejus modi ac species suppeditant. Quas universas methodicè digerere & sub uno obtutu in conspectum dare non parum momenti ad accuratiùs lustrandam Enuntiationis naturam contulerit: Nec minùs ad Logicæ munus pertinet, ac naturam ejus aut partes designare. Methodi enim generalis lex est:* In quâ disciplinâ Vniversalis conceptus discutitur, in eadem modos conceptum talem contrahentes discutiendos esse. *Ergò* divisioni amici simus, & *species propositionum hac diatribe eventilemus.*

2. *Tractatio propositionis* Absoluta quà definitionem & partes *materiales fuit. Sequitur* absoluta quà partes formales & divisionem. Partes formales sunt, quæ nexum terminorum spectant. *Suntq́ iterùm* signantes & signatæ. Signantes, *quæ notæ & media signatarum sunt. Vt omnes copulæ concretè sumptæ, ut verbum est vel simile quid, ut currit, legit, in simplici, comparativa aut conjunctiva particula in compositâ propositione.* Signatæ, *quæ per signantes expediuntur. Vt omnes copulæ abstractè sumptæ, i. e. connexiones, dispo*

nes, dispositiones, conjunctiones, compositiones prædicatorum cum subjectis, quæ actus intellectus nostri sunt terminos cum terminis affirmando aut sejungendo componentis. Officia *copulæ Logicæ verè propriéq; sic dictæ facere solent,* per se *significativum esse, ut verbum aliquod nomini Logico contradistinctum:* per se unitivum *entis & esse alicujus adesse vel conjungendo vel sejungendo, h.e. affirmando aut negando, & formaliter aut prædicatum aut subjectum in enuntiato faciendo, cum præter hanc tantùm termini sint,* a. V. c. 5. Per se *refusivum* τὸ *esse ad ens esse, ut in affirmando, ubi prædicatũ componit cum subjecto, ejusq; significatum ad illud refundit:* per se *qualitatis in Enuntiato terminativum esse, ut ex copula præcisè de affirmatione & negatione, indeq; petitâ Contradictione judicetur.* V. c. 10. Et per se *notam eorum, quæ prædicantur, esse. Quæ de copulâ prop. simplicis accipienda, quæ hic primaria, & cujus attributa inprimis inquiruntur, & de quâ quædam in Arist. d. inter: c. 3. invenies.*

3. *De* copulis *multa & intricatissima ab Autoribus disceptantur.* An *veræ propositionum partes? Quod in totum negat* Sotus, Burana, Villalpandus, Eustachius S. Pauli, *ex nostris* Regius, Hesselbeinius, Buscherus, Meisnerus, Corn. Martini, *Ex Reformatis* Crellius, Keckermann9, Goclenius. An *partes prædicati totalis & formalis? Quod negant* Meisnerus, Hesselbeinius: *Affirmant* Aristoteles, Bartholinus, Gravuerus, Sluterus, Scheiblerus, Flacius, Gutkius, Scharfius, Iac. Martini, Wegerus, Bacchius *alijq;*: An *formæ propositionum? Quod ajunt ex Papistis* Albertus M. Thomas, Conimbricenses, Smiglecius, Tolerus, Lorinus, Ruvius, Masius, *ex Reformatis* Timplerus 3. Log. c. 1. q. 9. Faber, *alijq;*: An *ex æquo tàm subjectum quàm prædicatum re-*

eum respiciant? Quod affirmat Meisnerus: *negant* Grauverus, I. Mart. Scharfius, Wegerus, &c. An *vera propositionis copula in ternariis sit,* τὸ *est, ut homo est animal? Quod novissimè negat* Ravius in Log. noviss. & tractatu de proposit. & subic. defensi. con. Scharffium c. 3. 4. 5. *& sic resolvendas in veram copulam contendit: Homo est ille, qui est animal, Paries est ille, qui est albus.* An *tropi per se capax? Quod affirmant,* Beza, Pezelius, Bucanus, Polanus, Daneus, Trelcatius, Chamier, Pareus, Piscator, *& alij. Negant nostri in communi.* An *in compositis Enunt: vera copulæ particulæ conjunctionum sint, quod communiter sentitur, an copulæ verbales id sint, quod novissimè* Bacchius in demonstr. veteris erroris Logici *contendit. & similia.*

4. *Ex his* tricis *ut distinctè nos eruamus, ordine advertantur sequentia. 1.* Copulæ abstractè pro ipsis copulationibus subjectorum & prædicatorum sumptæ sunt ipsæ formæ propositionum. *Hæ enim dispositiones affirmantes & negantes sunt, per* d. 7. t. 15. *& tàm formæ, quàm genera esse possunt, ut in abstractis solet, ut albedo est color, color est qualitas, ne hic difficultatem moveat* Timplerus aut Sagittarius. *Abstracta autem imitantur notionalia, ut apprehensio, Enuntiatio, Argumentatio. Sed Copulæ abstractè sumptæ sunt ipsæ copulationes, i. e. dispositiones vel compositiones ad affirmandum aut negandum factæ.* 2. Copulæ concretè pro verbis copulantibus sumptæ de est secundi adjecti sunt tota prædicata materialia & formalia enuntiatorum, *copulationem ipsam cum materiali simul complectentia, & actum existentiæ notant. Vt chimara est, Deus est, Homo mortuus non est, i. e. existit. Hic* τὸ *est & copulæ & prædicati materialis locum simùl complectitur,* 3. Copulæ ver-

bales de est 3. adjecti formaliter acceptæ non sunt partes prop. materiales & ut quod, *hæ enim sunt termini, ex quib. prop. formaliter constituitur, & res ac conceptus, pro quibus sumitur, & de quibus verificatur* : sed formales & ut *quo, quib. ut modis, instrumentis, vinculis & mediis prædicatum intellectus componit cum subjecto, illiq; atttribuit, adeoq; formaliter actu prædicatum constituitur. Vt enim actus intellectus judicans, hoc extremum esse illud, est formale prop. mentalis : sic copula hunc actum faciens & medium ei præbens est formale vocalis. Non est nuda conditio sine quâ non prædicati, sed id,* quo formaliter prædicatum in actu prædicati *constituitur, quod plus est, quàm nuda conditio.*

5. 4. Copulæ verbales de est 3. adjecti materialiter acceptæ pro re significatâ notant actum essendi vel existendi, vel modum agendi in prædicatis ad subjectum, *& partes materiales prop. ad prædicatum totale s. formale pertinentes esse possunt. Sic enim non solùm copulant, nudis enim copulativis conjunctionibus, &, etiam, atq;, æquipollerent, quod dici non potest : sed & rem ligatam significant, actum aliquem, qui si tenet ut res significata & ut quod in propositione. Sed tale quid materialis pars propos: esse potest. Sic Homo est animal, h. e. est ens animal, vel actum essentiæ animalis habet. Leo currit, movetur, h. e. actum currendi, movendi habet. Hinc & tempus consignificare, & actionem aut passionem in fluxu essentialis temporis differentiæ notatam importare potest, ut* d. 7. t. 26. *visum, quod non posset, si præter copulandi officium nullum materiale significatum importaret. Hinc* d. inter: c. 3. *verbum adsignificare copulationem quandam dicitur. Præter copulationem ergò & aliud significatum habere necessum est, quod Nos materiale vocamus, & actum essendi, existendi*

vel agendi notare dicimus. Quod & in mysticis, *ut Pater est Deus, Deus est Spiritus, Deus in Christo est homo & contrà Panis Eucharisticus est corpus Domini, & similib. obtinet, ubi actus personales, sacramẽtales, essentiales, notantur, nec hic peculiare quid requirendum. Nec magni momenti sunt, quæ contrà hic* à Meisnero s. 1. q. 2. c. 5. P. S. Reinbotho d. 2. d. prop. pers. t. 28. 32. Nihusio dis. 3. Log: t. 4. Zabarellâ in tab. Logic. p. 27. *alisq́; disputantur. Quòd sic copula rem notaret, esset κείμενον, πρᾶγμα inferret, non nudum προσκατηγορούμενον esset, ut ab* Aristo: d. int. c. 3. *vocetur. Hæc enim* vel *principium petunt*, vel πῶς *saltem accipienda*, vel *nobis nil incommodant, ut in discu: dicemus.* Ad prædicatum totale *hoc modo copulam pertinere* partim *natura prædicati docet, quod inferri & attribui per copulam subjecto debet, non autem subjectum prædicato:* partim *conversionis doctrina, ubi copula cum prædicato convertenda, ut, Nulla aqua est in pisce, E. nil, quod est in pisce, est aqua. Null: cantharus est in cerevisia, E. nil, quod est in cerevisiâ, est cantharus:* partim *tertiæ figuræ illatio, ubi totum prædicatum minoris in conclusionem inferri jubetur, & ubi copulâ à prædicato separatâ vitiosè intuleris. Vt, Annulus ambit digitum. A. continet gemmam, E. gemma ambit digitum. Pro quo, E. cont. gem. a. d. dicendum erit.* V. dec. 1. Misc. d. 9. t. 16. 5. Copulam tàm ad subjectum quàm prædicatum pertinere & ex æquo utrumq́; respicere de unione verum est, quà copula tàm prædicatum *subjecto unit, quàm subjectum prædicato; tàm subjectum & prædicatum constituit, ut termini actu uniti fiant, qui ante copulam subjicibiles & prædicabiles termini tantùm erant, nondum subjecta aut prædicata: non autem* de attributione: *sic enim prædicatum attribuitur subjecto, non*

 subje-

subjectum prædicato: sic infertur subjecto, non hoc illi: sic
denominat subjectum, non hoc illud: sic enuntiatur de subjecto,
non hoc de illo. Hoc modo solum prædicatum infert & attri-
buit subjecto, & formaliter ac actu prædicatum facit, non sub-
jectum attributo infert. Vnio reciproca est: Attributio solùm
prædicati est. Et sic ad prædicatum formaliter cum suo modo
tale & totale copula pertinet.

6. 6. Copula ratione materialis significati, & ut cum
prædicato totali coalescit, tropum sustinere potest. Actus
enim essẽdi, seu existendi, & agẽdi in prædicato ad subjectũ ipsaq́
attributio & informatio prædicati ad subjectum tropica & im-
propria esse potest, quã copula mate: & formali significato impor-
tat. Sic non vulpes solùm, sed totum hoc, esse vulpẽ in Herode,
non Agamemnon solùm, sed esse Agamemnonem in Roscio Co-
mœdo est tropicum. Sic esse leonem in Nerone, esse corvum
in fure, esse Diabolum in calumniatore, esse hirundinem in gar-
rulo, tropicum est. Sed radix & fundamentum improprieta-
tis semper in prædicato materiali est, ex quo esse illud, quod in
copulâ importatur, tropicum & improprium evadit. Hoc si
absit, copula per se solitariè sumpta nunquam tropum obtine-
bit. Sic si in prædicato, corpus Christi & Deus, in his, panis
Eucharist. est corpus Christi, Homo in Christo est Deus, tropus
à Reformatis solidè ostendi posset, & esse corpus ad panem, esse
Deum ad hominem tropicum esse ostensum esset. Sed antece-
" dens ingens habebit κρινόμενον. Et in generali, copula tropum
" asserere nondùm in sacramentalibus & personalibus enuntia-
" tis eum asserere erit, quod intendunt Reformati. Generale
verissimum esse potest: applicatio ad speciale alienis-
sima. Tropus in copulâ est: sed in de Cœnâ & Christo Enun-
" tiato non est. Propria illa prædicata sunt proprietate Gram-

maticâ

matica & Rhetoricâ: etsi non Physicâ. Sic enim impropria vel supernaturalia sunt. 7. Copula est tertii adjecti in Enunciatis obscurioribus ob majorem sensus claritatem ita resolui potest, Homo est ille, qui est animal. *Inprimis in infinitis, modalib. exponibilib.; & conversione & contradictione utilis esse talis explicatio potest, sensum enim subobscurum plerumq; habent. Sed ob veræ copulæ defectum ita resolvi non debet. Est enim in his, Homo est animal, Avis volat, actu prædicatum & subjectum, actualis & determinata affirmatio & negatio, veritas & falsitas, attributio prædicati ad subjectum vel ab eo remotio:* Potest *in iis formari Conversio, Consecutio, Oppositio, Explicatio, Limitatio, Aequipollentia, &c. quæ impossibile est sine verâ copulâ in propositione locum habere. Nec necessaria absolutè est talis resolutio, quasi vera copula deesset: ne in omnib. urgeri potest. Vt pluribus tract.* de princ. Contradictionis s. 3. §. 44. disceptabo. 8. Vera propositionis copula in compositis Enuntiationis *& ex copula verbali & conjunctionali peti potest, sed hæc primò & immediatè, quà composita est & manet, sic enim conjunctio copula constitutionis & distinctionis in compositâ est, ut ipse Bacchius concedit: illa secundò & mediatè, quà ex simplicibus composita est. Vt enim simplices in se habet: Ita & ex copulâ verbali in simplicibus contentâ judicium aliquod formari potest. Hoc modo veritas & falsitas, affirmatio, negatio & contradictio & ex copulâ verbi mediatè judicari poterit. Nam & hæc prædicatum hic attribuit aut removet à subjecto. Pluribus eam rem in cit.* tract. s. 3. §. 82. 83. seq. *disquiram. Vbi edendi suppeditâ[bit]ur occasio.*

7. *Ita* partes formales *prop: fuerunt. Succedit divisio. Hæc* vel præcognitivè *spectari potest, Vbi quæritur* 1. An di-

1. An *dividi possit propositio?* *2.* An *specialiter hæc doctrina in Logicis tradenda, & ubinam?*

8. Quà primum, *Ratio dubij esse potest: Quia propositio est simplex quidam mentis actus* indicativus nempe, aliquid esse aut non esse, *qui impartibilis est. Et non est corporeum quid. Ergò. &c. Contra hæc habendum: 1. Propositio est unus actus simplex componens aliquid aut dividens, quia non tot actus comprehendit, quot integer discursus: Interim est actus componens, quia terminos aut membra conjungit, quæ compositio varijs modis formari potest, & ex his modis ipse actus componendi sortitur varias divisiones. 2. Actus componens non est corporeum quid. E. nequit dividi in partes sc. corporeas. Secùs in partes subjectivas, modos variandi, species immateriales. dividi potest. Sic accidentia in suas species dividuntur, virtus in moralem & intellectualem, justitia particularis in distributivam & commutativam, etsi corporeum quid non sint. Idem de divisionibus notionum secundarum habendum, qualis hæc est.*

9. Quà secundum *dicendum* I. Specialiter divisiones propositionum in Log: proponi debent. *1. Quia sunt instrumenta bonæ ratiocinationis. Ita propositiones affirmantes, negantes, puræ, modales, simplices, compositæ, constituunt syllogismos, & sic ad eruendam veritatem distinctè faciunt. E. ordine & distinctè in Log. explicari debent. 2. Cujuslibet notionis secundæ divisiones in disciplinâ instrumentali explicari debent, si habeat divisiones. Secùs tractatio erit manca. E. & propositionis. Nam habet divisiones, ut post patebit.* II. Commodissimè definitioni subjungitur Divisio. *Nam definitionem rei proximè insequitur partitio*, & propiùs è re emanat species ejus ac variandi

modus

modus, *quàm affectio & accidens rei. Sic intimiùs ex animali prodit rationale & bestiale, quàm motus, cursus, aut similis affectio. Participant enim species quidditativam generis rationem, sic rationale, bestiale, est animal: Non affectiones. Non dices: motus, cursus, est animal. Hac ratione divisio prior est affectione rei. E. benè ante illam tractatur.* Dices: Vnum prius diviso *Sed affectio est rei, ut adhuc una: Divisio, ut sit multa. E. potiùs de affectione priùs tractandum. R. 1.* Vnum *est prius diviso in ipsâ re: non tamen semper* in ordinatâ rei tractatione. *Sic media priora sunt fine in ipsâ re: In practicâ tamen tractatione à fine inchoatur, ad media proceditur. Vt in Ethicis, Politicis, Oeconomicis. Sic in principiis homonymias thematis explicamus, quæ velut divisiones nominis sunt, quas thematis definitioni, quæ velut unum, præmittimus. Divisio intimiùs rei cohæret, ac affectio: nec completè hæc cognoscitur, nisi priùs omnes rei species cognitæ fuerint. Hic ergò ordo distinctæ tractationis divisionem ante affectionem requirit. 2.* Vnum *est prius diviso quantum ad rem & essentiam: non tamen quantum ad omnia ex essentiâ consequentia, Vt accidentia. Sic species priores accidentibus.*

10. Vel Cognitivè, *Vbi de ipsis divisionibus propositionum in particulari agendum erit. Generaliter propositionum divisiones sumuntur* vel à formâ, (*alij à substantiâ vocant,* Casus c. 10. Dial· p. 1.) vel à materiâ, vel à modo Enuntiandi. *A formâ, quæ velut ex ipsâ dispositione Terminorum sumuntur. Et sequentes esse possunt.* 1. Propositio est vel affirmans vel negans. Affirmans, quæ copulâ affirmatâ prædicatum attribuit subjecto. Negans, quæ copulâ negatâ prædicatum removet à subjecto. *Ad*

intelligenda hæc Nota 1. Propositionem rectiùs dici affirmantem & negantem, quàm affirmatam & negatam, Vt Ramistæ volunt, Ramus l. 2. Dial. c. 2. Dunamus. l. 2. c. 2. aliiq;. Termini affirmantur aut negantur: Propositio est Dispositio affirmans Terminos aut negans. Et hoc concedit Piscator l. 2. Log. Ram. c. 2. magnus alioquin Rami defensor. Nec argumenta per se, ut vocant, affirmant vel negant res, ut falsò supponit Dunamus, V. d. 7. c. 17. Sed dirigunt tantùm apprehensionem rerum simplicem: nec enuntiatum passivè & adjectivè in Log: sumitur, quasi aliquid quod enuntiatur, ut præcisè inde affirmatum aut negatum dici debeat: sed substantivè & activè, ut idem ac Enuntiatio sit, Vt dictum idem ac dictio, factum ac effectio est. Vnde ut rectè dicitur: Enuntiatio alia affirmat alia negat: Sic & enuntiatum aliud affirmat, aliud negat. Et ipsi Ramistæ axioma verum definiunt, quod pronuntiat, ut res est. Si pronuntiat axioma, cur non affirmet aut neget? Quamvis de vocabulis usus facilis esse debet. Conf. Cl. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 2. q. 5. 2. A posteriori propositionem affirmantem & negantem definiri per copulas, cum Rameis, V. Ramum l. 2. Log. c. 2. Piscat. c. l. A priori per attributionem aut remotionem prædicati de subjecto cum Aristotele d. int. c. 6. & l. 1. prior. c. 1 Optimè omnium jungendo utrumq; in definitione. 3. Prædicatum attribui aut removeri latissimè sumendum, s. reale prædicatum tribuatur, ut homo est animal, s. notionale, ut homo est species: s. verè tribuatur s. falsò: sive secundùm rẽ s. rationem tribuatur, s. ut realiter diversũ, (quãdoq; id est, nõ semper, ut vult Alsted. l. 6. Log. har. c. 1. nec ejus ratio quid probat, nisi ut subjectum & prædicatum formaliter aut notionaliter sumuntur, sic enim una notio nunquam formaliter est altera, sed realiter

differunt:

differunt: Secundùm rem *tamen sumendo non semper realiter differunt, Vt Deus est bonus, justus, ens est unum, perfectum, verum, s. ratione: s. prædicatum affirmetur de subjecto, ut in simplici, sive cum eo, ut in compositâ propositione, sive absolutum, sive determinatum, s. positivum, s. privativum attribuatur: Idem de remotione habendum.*

11. 4. *Negativam veram esse*, quando totum prædicatum removetur à subjecto, non quando pars. *Vt, homo non potest currere, est negans: Homo potest non currere, est affirmans. Hic enim pars tantùm prædicati negatur. Sic, odi sapientem, qui sibi non sapit, affirmat, non negat.* V. t. 13. *Idem observandum* in resolutione modalium, quæ videntur negativæ, reverâ non sunt, sed *infinitè affirmativæ. ut: Possibile est nullum hominem currere, Contingit nullum canem latrare. Necesse est nullum leonem esse rationalem, Possibile est aquam nullam esse calidam: Hæ propositiones non sunt negantes, nec ita resolvendæ: Nullus homo possibiliter est currens, nullus canis contingenter est latrans, Nullus leo necessariò est rationalis, Nulla aqua possibiliter est calida: Hæ enim resolutiones sunt falsissimæ, & prioribus in sensu planè contrariæ: Sed hoc modo in sensum sunt resolvendæ: Omnis homo possibiliter est non currens, omnis canis contingenter est non latrans, omnis leo necessariò est non rationalis, omnis aqua possibiliter est non calida. Hæc resolutio est competens & in negativis modalibus in Syllogismo modali cautè observanda, ut doctrina Syllogismi modalis docebit.* V. dis. 12. t. 23.

12. *Quæritur hic*, qualis hæc divisio? *Tribus hæc quæstio explicari potest.* 1. An sit generis in species, an subjecti in accidentia? *Quidam posterius affirmant. Ex veteribus* Aphrodisæus & Burana ap. Conimb. in l. 1. pri-

or. c. 1. q. 1. a. 2. *ex recentioribus* Dunam: l. 2. dial c. 2. Scheibl. d. pro. c. 2. n. 9. Greberus. d. 5. Log. q. 1. Faber in l. d. int: c. 7. q. 1. *Quidam prius: Ex veteribus* Ammonius, Prophyr. Philoponus, Simplic. Thom. ap. Conimbr. c. l. *Ex neotericis* ipsi Conimbr. c. l. Mendoz. d. 8. Log. S. 4. §. 17. *Verè hoc. Divisio rei ex ipsâ definitione & essentiâ quidditativâ rei sumpta est major divisio, quàm subjecti in accidentia. Nam accidentia abesse possunt à definitione rei. Hæc divisio est talis, ut patet ex Definitione propositionis.* V. D. 7. t. 14. 15. *E. generis in species & oppositas differentias.* Dices 1. Species non debent includi in definitione generis, sed abstrahi. E. nec hæ. Ita Mendoz. d. 4. sum s. 1. §. 1. *R. Antecedens de definitione materiali rerum prædicamentalium valet. At hic notio secunda Logica tantùm definitur, quæ rigidæ definitionis requisita non potest semper habere.* V. c. l. t. 17. *Et sic* Mendoz. *talē definitionem admittit*, d. 8. Log. §. 16. Deinde *species non debent includi in definitione generis, nisi cum ita in eâ imbibuntur, ut genus sufficienter definiri nequeat, nisi illis inclusis. Quod hic est. Affirmari enim & negari ita in proposit: imbibitur, ut cogitari ea aut definiri nequeat, nisi his memoratis.* V. c. l.

13. Dices 2. *Generalis ratio axiomatis est partium Dispositio. At hæc non mutatur in specie diversam, affirmando aut negando, sed Categoricâ aut hypotheticâ. R. Ratio axiomatis est partium dispositio, sed affirmans vel negans. Et hæc affirmatio vel negatio mutat copulas specie diversas. Alia enim est species copulæ attribuentis, alia removentis.* In esse generali copulæ conveniunt, quòd copulent: In modo specifico copulandi differunt. *Sic homo & bestia in esse generali, animali, conveniunt, in specie differunt. Sic differt*

speciè,

ſpecie, attribuere & removere. E. & iſtæ copulæ ſpecierum diſcrimen importare poſſunt. In copulâ verbi & conjunctionis eſt alia ſpecificatio copularum, quæ ſimiliter ſpecierum differentias importare poteſt. Ad cætera, quæ hic moventur, obſerva 1. Ens & negatio entis *realiter, objectivè, materialiter ſumpta nequeunt ſub uno genere eſſe, nam infinitè diſtant: Benè notionaliter & formaliter, ut ens per diſpoſitionem attribuentem, non ens per diſpoſitionem removentem repræſentatur. Sic utraq; eſt poſitiva operatio, aut intellectus, unde mentalis, aut vocis, unde vocalis propoſitio oritur. Et ſic dividitur Propoſitio, ut genus, in affirmationem & negationem, ut ſuas ſpecies. 2. Vulgò hæc diviſio ex qualitate propoſitionis ſumi dicitur, ut ex particulis, quæ, qualis, quanta, patet: ſed eſſentiali, non accidentali. Sic diviſio animalis in rationale & irrationale ex qualitate, id eſt, Differentiis animalis eſſentialibus ſumitur. Differentiæ eſſentiales etiam in quale prædicantur, ſed eſſentiale, ut concedit* Scheibl. int. Log. c. 3. n. 36. *Vnde in quale quid prædicari dicuntur.* Porphy: c. 3. I. ſag. *Sic genꝰ & ſpecies qualitatē circa ſubſtantiam determinant,* Ariſt. c. 5. Categ: *ſed ſubſtantialia ſunt, non accidentia.* Idem 4. Meta. c. 5. *formam ſubſtantialem qualitatem vocat. Nomen* qualitatis hic vulgò uſurpatur: rigidè eſſentia dici deberet. Vt rectè urget Mendoza d. 4. ſum. §. 5.

14. *II. Quæritur,* An ſit univoca, an analoga? *Ens & negatio entis objectivè ſumpta nec ſunt analoga nec univoca, Nam in nullo conceptu conveniunt, ſed infinitè diſtant, & in nullo conveniunt,* V. t. 13. *Notionaliter ſumpta, ut Logicè ſunt affirmatio & negatio, ſunt univoca. Ex æquo enim participant eſſe definitionis: Ex æquo propoſitio negans eſt propoſitio, quàm affimans: Ex æquo propoſitionis eſt negare, ac af-*

firmare

firmare. Et in hoc consistit univocatio divisionis. Quicquid sit de eo, quòd genus, propositio, sit notio secunda, & sic ens analogicum: quidquid de affirmatione in actu exercito, quæ prior negatione: quicquid de affirmato objectivè, ut Ens, quod prius negato, quod non ens. & c, V. Scheibl. d. prop. c. I. n. 3. 4. 11. 12. Conimbr. c. I. *Nec quòd affirmatio adstruat, & sic nobilior, negatio destruat, & sic ignobilior sit, univocationem tollit: quæ penes æqualē generis participationem, non majorem aut minorem nobilitatem unius est desumenda.*

15. *III. Quæritur,* An sit immediata? *Ita est. Nulla est propositio Logica, quæ aut non affirmet certi aliquid, aut neget, vel absolutè, vel sub cōditione. Prop. optativæ, semiplenæ, affectivæ, homonymicæ, supra sūt rejectæ à propositione Logicâ.* V. D. 7. t. 10. *Non tamen ex hac immediatione statim sequitur, Alteram earum necessariò esse veram, alteram falsam, Cum utraq; falsa esse poßit. Vt, Omnis homo est albus, Nullus homo est albus. Nisi modo Contradictorio formentur, sic altera aut necessariò vera aut falsa erit. Vt, Omnis homo est albus. Non o. h. e. a. Vt* d. 9. t. 30. *patebit.*

16. *Vtraq;* Propositio, affir: & negans, vel est finita vel infinita. Finita, quæ fit terminis finitis. *Vt homo est animal:* Infinita, quæ infinitis. *Vt homo est non leo. Sive hi Termini apponantur subjecto aut prædicato principali, sive minùs principali. Nec video, Cur oppositum hic intendat* Nihusius d. Log. 3. t. 6. *Cur enim non infinita sit: Ebenus est lignum non album, Homo est animal non brutale, & c. licet infinitus terminus â prædicati parte secundariâ sit, non primariâ. Sic, Adam potuit non peccare, non mori, non mentiri,* V. t. 17. Si signo subjecti *apponantur, non ipsi subjecto, non infinitas, sed negantes faciunt. Vt, nō omnis homo est credens.*

De infini-

De infinitis porrò observa: 1. Quædam infinitæ æquipollent negantibus quà significationem, non quà modum significandi & proferendi, qui semper *diversus in infinitâ à negante.* Negans *copulam negat de subjecto: Vt homo non est leo:* Infinita *copulam affirmat, & prædicatum materiale solitariè negat. Vt homo est non leo.* Infinitum *negat significationem: Negatum consignificationem & compositionem.* Infinitum *rem tollit, quæ in prædicato aut subjecto est, ut non ea sit:* Negatio *tantùm rem, quæ est in termino, sejungit, ut cum altero unà & conjuncta non sit.* Infinitum *prædicatum negare potest de subjecto: Negans negationem prædicati attribuit & infert subjecto.* Infinitum *negatam significationem componit: Negans negatam compositionem formaliter infert. Hoc modo quà significationem infinitæ de verbo infinito absoluto æquipollent negatis: ut homo est non videns, idem, ac homo non est videns. Equus est non leo, hoc est, Eq. non est leo.*

17. 2. Quædam infinitæ non æquipollent negantibus, *Vt illæ, quæ habent verbum aut nomen infinitum determinatum per potest, valet, vel simile. Sic ergò multum differunt, Homo potest non ambulare, & homo non potest ambulare. Hoc negat potentiam ambulandi, falsò: Illud actum, relictâ potentiâ, verè. Sic, qui potest non loqui, tacet. Qui potest non videre, cæcus esse potest, multum differunt ab his, Qui non potest loqui, tacet, qui non potest videre c. es. po. Priora enim vera, posteriora falsa sunt. Et per hoc nullâ ratione* à Vive l. 3. d. cau. cor. ar. & Ramo l. 5. Sch. Log. c. 3. & l. 6. c. 1. *rejiciuntur, quòd sint negantes. Nam id valdè particulare est. Et ex ipsis Ramistis* Bilstenius l. 2. Dial. c. 2. Et Casmannus l. 2. dial. c. 2. *particulam non haud semper*

infer-

inferre negationem concedunt, nisi conveniente loco ponatur. Vt, O disapientem, qui sibi non sapit. Rei non bonæ consuetudo pessima est. Vbi negationem parti vel determinationi subjecti vel prædicati additam ajunt non spargi in copulam, adeoq; veram negationem non esse. At hoc ipsum infinitis suis *volunt Aristotelei.* 3. Infinitæ & sæpè occurrunt in authoribus, & magnum usum in Syllogismis benè resolvendis habent. Prius patet. Cic. 1. off. *Corporis quædam partes aspiciuntur non decorè, &* 1. parad. *An potest quisquam in abundantiâ bonorum ipse esse non bonus? Platonis ænigma, Vir, non vir, & c.* Augustin: *Primus homo poterat non mori, secundus homo non poterit mori: Judæi exacerbarûnt Jehovam in non DEO,* Deut: 32. v. 21. *Ob merita non sua punitus est Dei filius. Est peccatum non ad mortem,* 1. Ioh. 5. v. 17. *Lapis est aliquid, quod non movetur. Plura ap.* Cl. I. M. l. 3. inst. c. 6. Goclenium p. 3. probl. q. 12. & 52. Bertium. l. 2. log. c. 6. vide. Posterius; *Nam: Non scintillans propè est. Planeta non est scintillans. E. Et sic: Non laborans non manducet. Otiosus est non laborans. Non credens damnabitur. Judæus est non credens. In his & similibus minor non est negans, sed infinitè affirmans.* Subsumitur enim subjectum minoris sub subjecto majoris, quod infallibile indicium est Minoris affirmantis, *Cùm in negante soleat à subjecto majoris removeri. Et sic, qui tales minores negativè resolverit, malè resolverit. Danhauverus quidem id sentit, omninò negantes esse tales minores,* locis dec: 1. Misc. d. 7. t. 23. & d. 10. t. 28. *citatis. Sed communiter contrà sentitur, & veriùs,* Vt d. 10. t. 29. *ostensum, Vbi Authores ibi citatos consule.*

18. II. Affirmatio & negatio est vel absoluta vel

respecti-

respectiva. Absoluta, *quæ absolutè enuntiat. Vt, homo est animal.* Respectiva, *quæ pro certo respectu. Vt ille homo, qui est Philosophus, est doctus, Illud animal, quod homo est, potest ambulare. Embrio est homo generandus. Non omnia bona opera justificant. Non solus homo est brutum.* Neutra aliud vel infert vel excludit vi formæ. *Sic in affirmativis, Multi homines resurgent, Dan. 12. v. 2. Non valet, E. non omnes. Christus mortuus pro nostris peccatis. 1. Ioh. 2. v. 2. E. non pro aliorum. In negativis, Non sola bona opera justificant. E. tamen cum aliis juncta. Non solus Papa est judex* Contro*versiarum fidei. E. cum aliis. Non peccatum in Spiritum Sanctum remittitur in hoc aut futuro seculo. E. aliquod remittitur in futuro : Non ducenda uxoris soror, illâ vivâ. E. eâ mortuâ licet, Vt Papistæ solent. Non qui Christũ nõ confitẽtur, sũt Christiani. E qui confitẽtur, sũt. Non bipedes non homines sũt. E. qui bipedes sũt, sunt homines. Non omnis homo est irrationalis. E. quidam.* Ratione formæ hic nõ valet illatio. Per materiam interdum valere potest. Vt, *Non ex omni ligno fit Mercurius. E. ex quodam. Non omnis homo est doctus. E. quidam. Non omnib. contingit adire Corinthum. E. quibusdam. Sed per formam affirmativi nihil hic sequitur. Vide latissimè* Dn. C. Mart. l. 1. anal. Log. c. 3. *Hæc negatio respectiva potest esse vel in propositionib9, Vt, solus homo est leo, Non solus homo est leo : Vbi hæc tantùm negat alteram, nil aliud infert: vel in argumentationibus. Vbi quandoq; negans verè negans ampliùs non est, sed fit alia, infinitè affirmativa.* Vid. t. 17. *Huc referri potest distinctio negata* in absolutam & privativam, *quâ quidam utuntur. Ex hac sequi putant, ex illâ nullam affirmationem.* V. Greberum d. 5. d. prop. c. 3. q. 4. *Plurib. alibi hac de re.*

19. Negativa vel est explicita & formalis, vel implicita & virtualis Explicita, *quæ signo negãte debitè collocato fit. Vel præmittendo signum copulæ immediatè, ut, Homo non est asinus: vel mediatè per modum ad copulam pertinentẽ, Vt, homo non necessariò est albus: vel verbo copulam includenti, Vt, Leo non ambulat: vel signo toti propositioni præmisso, & non impedito, ut, Nullus leo est homo: (At si impediatur, velut aliâ particulâ negandi, Vt, Non nullus leo est homo, Nullus non leo est homo, est affirmata:) Vel signo τῷ non æquipollente efferatur, ut homo haud, haudquaquam, nequaquam, nullatenus, &c. est leo.* Implicita *est, quæ virtute sensus in vocib. abstrusi neganti æquipollet, etsi expressâ formâ negans non videatur. Vt sunt* exclusivæ, *ut solus homo est rationalis*, Exceptivæ, *ut Omne animal præter brutum est rationale*, reduplicativæ, *ut, homo, qua animal, sentit*, Impossibiles, *ut Impossibile est leonem esse canẽ*, coarctativæ, *Vt Paucus, Vnus, Vnicus, exiguus: Vt, Vnicus homo redemit mundum*, Disjunctivæ, *ut, aut est rationale aut irrationale. Hæ omnes æquipollent virtute negantibꝰ, & in illas sũt resolvẽdæ, & in Syllogistica dispositione 1. figuræ cautè observandæ, ne in minore admittantur. Faciunt enim eam virtute negantem, quod contra formam istius figuræ.*

20. 2. Ex formâ propositio est vel pura vel modalis. Pura, *cujus forma nullo modo determinatur, Vt, homo est animal. Quidã absolutã vocant. Sed hæc potiùs comparativæ aut conditionatæ, quã modali contradistinguitur.* Modalis, *cujus forma modo determinatur. Estq́;* latè vel strictè dicta. Latè 1. Modalis composita, *ubi modꝰ est pro toto prædicato aut subjecto. Vt necesse est, quicquid non contingens est. Impossibile est, quod potentiam excedit. Hominem esse animal est*

necesse,

necesse. Hæc verè modalis non est, sed puræ æquipollet, & hunc habet sensum: Hæc propositio, homo est animal, est necessaria. Nullum necessarium est contingens, om. impoßibile excedit potentiam. Adeoq; ad formam puræ resolvenda, & inter modales parùm de eâ curandum. 2. Modalis æquivoca, *ubi qualiscunq; determinatio dicitur modus. Vt, Omnis homo est animal: Hic τò omnis est determinatio universalis, & modus æquivocè dictus. Sic, pauci homines sunt electi, Vnicus homo salutem nostram restituit.* 3. Modalis materialis, *ubi vel prædicati vel subjecti materia determinatur. Vt, Omne animal, quod currit, movetur. Canis currit celeriter, Petrus disputat argutè, Agit benè, incedit obliquè, scribit doctè. Hæ infinitæ esse possunt, & vanè pro impugnandis modalibus à* Ramo l. 6. Sch. dial. c. 3. Vive l. 3. d. caus. cor. art. Beurhusio p. 2. pædag. Log. p. 905. 906. Gassendo l. 1. c. Aristot. ex. 5. Dunamo, *alijsq; adductæ. Quorsùm &* Græci *quidam inclinant, plurimosq; modos faciunt, & Aristotelem tantùm potiores enumerasse censent, ap.* Toletum 2. d. inter. c. 3. 4. Modalis totalis, *quando particula aliqua determinans respicit totam propositionem & quà materiam & formam consideratam, ut, verum, falsum, certum, incertum. Vt, Homo verè est animal, Homo falsò est Leo, &c, quæ Hispanus addidit modis.* V. Alsted. L. 6. Lo. harm. c. 5.

21. Strictè dicta est, quæ est formalis divisa aut ei æquipollens. *Id est, ubi modus formam & copulationem prædicati cum subjecto determinat, sive* situ *medio ponatur, ut, homo necessariò est animal: sive* sensu, *ita ut resolvendus sit in medium situm. Vt, necesse est hominem esse animal. Estq;* vel primariò dicta, vel secũdariò. Primariò, *quæ modo strictè dicto (alij substantialem, essentialem, solenniorem, vocant,*

Alsted. c. l.) *formam propositionis determinat. Tales modi sunt 4. Nec: cont. pòs. & imp.* ꝯ per se & ꝯ per accidens *reducuntur ad necessarium & contingens, quibus æquipollent, eoq́ peculiares modos non constituunt.*

22. *De his modalibus observanda* 1. Specialis in Logicis necessitas, *quâ omnino peculiariter sunt proponendæ. Nam possunt propositionem vel veram vel falsam reddere. Et consequenter ad Logices finem multum faciunt. Sic vera, Homo est doctus, falsa, Homo necessariò est doctus. Vera modalis, Homo possibiliter cornutus, falsa pura, Homo est cornutus.* Deinde *cohæsionem prædicati cum subjecto ostendũt, qualis ea sit, an perpetua, an non perpetua, & in oppositione peculiarem requirunt observationem, quæ ap.* D. I. M. l. 2. dis. Ram. c. 4. q. 9. *latè discussa vide. Quod contra Ramum, Beurhus. Vivem, & alios notandum. Alij majorem modalium usum apud Græcos esse ajunt, quàm apud Latinos.* Keckerm. l. 2. Log. s. 1. c. 3. *Hoc de Philologis Latinus fortè verum: Apud Philosophos Aristoteleos sunt frequentissimæ.* Alij *nihil novæ artis à puris continere ajunt, sed ex illis satis judicari posse. Vt* Ramus, Beurhusius, Vives Dunamus. *Quos sequitur* Becmannus l. 2. compa. Log. c. 3. *Hoc falsum esse ex adductis fundamentis patet.* 2. Affirmatio & negatio: *quæ penes modum spectanda, non dictum. Ita, homo necessariò est doctus, Homo non necessariò est doctus. Sed, necesse est hominem esse album, Necesse est hominem non esse album; Non est directa negatio prioris, utraq́ enim falsa: Sed hæc: Non necesse est hominem esse album. De oppositione & conversione modalium in* seq. disp. *agetur.*

23. *Fuit* modalis primaria: Secundaria est, quæ modo secundario seu exponibili formam propositionis

deter-

determinat. *Vulgò vocant* exponibiles, *quòd expositione indigeant ob obscuritatem sensus & difficultatem suam.* Alij *vocant modales secundarias.* Keck. nr l. 2. Log. s. 1. c. 4. Scheibler. d. prop. c. 7. n. 36. Danhauver. ide. disp. s. 4. §. 87. & epit. Dial. p. 1. c. 4. Zanakius c. I. M. l. 2. s. 1. c. 4. Stengelius p. 2. d. Syllog. §. 26. Alij *determinatas non à signo,* Alsted. c. l. c. 8. *Quamvis idem ad divisiones propos. à materiâ easdem referat,* l. 24. Encycl. p. 2. c. 5. 6. Alij *negant modales secundarias dicendas, quòd particulæ exponibiles non sint modi, nec formam propositionis afficiant.* D. I. M. l. 2. s. 1. c. 4. c. Log Keck. Werenberg. ex. 7. Log. t. 58. *Sed facilè tolerari ea appellatio potest. Reverâ enim tales particulæ sensu Logico formam propositionis determinant, & rationem inhærentiæ prædicati ad subjectum dicunt, ac ostendunt, quâ ratione prædicatum tribuatur subjecto, an exceptivè, an exclusivè, restrictivè, Et sic formā enuntiandi reddūt exclusivā, exceptivam, &c. non unā saltem vel alteram partem.* Etsi situs istarum vocum interdum sit pro subjectis. *Vt benè hanc rem observavit* Scharf. l. 2. Log. c. 7. *Sic exclusivæ prædicatum ab omni eo, quod non est subjectum, excludunt, eoq; formam & attributionem prædicati ad subjectum determinant, qualiter ea se habeat. Exceptivæ aliquid à consortio prædicati excipiunt, & sic respectum subjecti & prædicati involvunt, ac consequenter formam enuntiati concernunt. De restrictivis idem judicium. Et resolutio harum propositionum Logica ita instituenda est, ut quantum per voces licet,* in modum modalium formentur & resolvantur. *Vt, Solus homo est rationalis, id est, homo solitariè est rationalis. Om. animal præter brutum, potest loqui, h. e. o. a. p. l. si brutum excipias. Vbi hoc, si brutum excipias, ad totam propositionem, O. a. p. l.*

non aliquam tantùm partem, & sic ad cohæsionem & formam pertinet. Idem in cæteris servandum.

24. Exclusiva est, quæ signo excludente prædicatum infert subjecto. *Vt, solus DEus est infinitus, id est, Deus solitariè est infinitus, vel, DEus ita est inf. ut nullus cum eo talis sit.* Exceptiva, *quæ signo excipiente præd. infert subjecto. Vt, O: spiritus, præter Deum, est creatus.* Restrictiva, *quæ signo restringente prædicatum tribuit subjecto. Vt, homo, quà homo, est rationalis. Et duplex est,* si vera formalis est, *non mera materialis tantùm.* Specificativa, *cum signum restringens qualemcunq; modum habendi prædicatum ostendit, Vt, homo quà capillos est crispus: Et* Reduplicativa, *cum signum restringens ostendit causam habendi prædicatum. Vt, homo, quà rationalis, est docilis. Potest resolvi ita: Homo, quia rationalis, est docilis. Restrictiva apparens & materialis tantùm descriptio aliqua subjecti aut prædicati est, non vera restrictio, nec speciem restrictivæ veræ participat. Vt: Hoc est corpus meum, quod pro vobis traditur. Hic est liber meus, quē 5. Imp. Lipsiæ comparavi. Christus secundùm humanam naturam est filius Dei naturalis, & similes, de quibus alibi pluribus fortasse. Cætera ab authoribus petantur.* Quidam & *comparativas ad exponibiles referunt, Vt* Danhauv. epit. dia. c. l. Gutkius ex. 7. Log. diu. reg. 3. & c. 5. Syno. Lo. m. 3. §. 4. 8. *Sed hæ restrictiones materiales tantùm habēt, Vt, Arist. est doctior Platone: vel magis propriè compositis annumerantur. Vt, qualis rex, talis grex,* V. t. 26.

25. *III.* Ex formâ propositio est vel simplex, vel composita. Simplex est, *cujus copula est simplex, verbi scilicet: Vt homo est animal.* Composita, *cujus copula est duplex, & verbi & conjunctionis, Estq;* copulativa, connexiva, ad

va, ad quam referenda est comparativa; disjunctiva, & discretiva. *Definitiones facilè patent. Observa, divisionem hanc esse analogam. Propositio enim* Simplex primò & magis *est propositio, quàm composita, quæ ex simplici constat, in eamq́; resolvi potest. Et connexiva etiam substitutiva dicitur* Apuleio l. d. interpret: s. Syllog. Categorico, §. 1.

26. *Quatuor hic quæri possunt.* 1. An propositiones comparativæ huc referendæ? *Velut, Qualis rex, talis grex, Quantum nummorum quis possidet arcâ, tantum habet & fidei. &c. Ramei ad copulatas referunt.* V. Sch. d. pro. c. 5. n. 44. *Alij ad connexivas.* Id. n. 63. *Quædam illarum integrum discursum implicant, in eumq́; sunt resolvendæ, ut enthymema aut simile.* V. Cl. I. M. I. 2. d. R. c. 6. q. 1. 3. *Quædam in simplices redigendæ.* Gutk. p. 320. syn. Lo. *Rectè hæ propositiones Logicè impertinentes dicuntur, non enim juvant connexionem conceptuum, sed impediunt, & sunt resolvendæ in alias, si discursui aptandæ sint, aut in ipsum discursũ, qui conditionalis virtute semper procedet. Vt, Qual. pater, talis filius. Sed pater est immẽsus. E. &c. Virtute conditionalis procedit. Si pater immensus, & filius talis. Sed pater est. Ergò.* 2. An immediata hæc divisio? *Logico sensu est: Logico enim nulla est propositio, nisi simplex aut composita. Quæ de* hypotheticis contingentib. *adferri solent, ea vel Logicè veræ hypotheticæ non sunt, sed tantùm Grammaticè: ut, si Petrus hic fuisset, fortè peccasset, Vt placet* Becano p. 1. Th. Sch. c. 10. q. 6. tr 1. §. 5. vel sunt hypotheticæ quidem, sed enuntiativæ *tantùm, non simul* illativæ, *quales in materiâ necessariâ dantur, Vbi consequens necessariò infertur ex antecedente, ut, Si asinus volat, habet pennas; Vt placet* Mendozæ d. 4. sum. § 8. 9. 3. An compositæ affirmatio & ne-

gatio

gatio penes copulam conjunctionis, an verbi, ſumenda? Aliquid de hoc t. 6. dictum, pluribus alibi dicetur. 4. An diſcretiva addenda? *Peripatetici omittunt. Ramei ponunt. Poteſt obiter addi, ut omnis modus variandi propoſitionem per conjunctiones oſtendatur:* πρώτως tamen Logica propoſitio non eſt, nec diſcurſui *ſatis apta, quanquam hoc* â Bacchio *aſſeveretur* l. 1. d. anal. form. pro Cor. Mart. p. 42. ſeq. *Cujus exemplum magis vi oppoſitorum aut diſparatorum procedit, quàm diverſorum: aut in majore nexum valdè vacillantem, imò falſum habebit: Quicunq; eſt facundus, ille non eſt formoſus, falſum eſt, & conſequentiâ deſtituitur:* Eoq; rectè potiùs Rhetori, Oratori, Poëtæ conceditur, nec à *Logico magnoperè curatur. Libando magis, quàm tractando adducitur. Et hoc rectè volunt Peripatetici.* V. D. J. M. l. 2. dis. Ram. c. 7. q. 1. *Nec magnoperè impugnanturâ* Scheiblero c. 5. n. 40. *ſibi ex parte contrario* d. Syll. c. 10. n. 15. *Vbi quod abſurdum* c. 5. *habuerat, Concluſionem actu contineri in præmiſſis, in Syllogiſmo compoſito omninò ita eſſe concedit.* V. & n. 2. præceptorum.


27. *Fuerunt diviſiones à formâ: ſequuntur, quæ à materia, in quâ verſatur propoſitio.* 1. E materiâ propoſitio vel eſt vera vel falſa. Vera, *quæ cum re conſentit, vel quà rem vel rationem conſideratâ. Quà rem, Vt, homo eſt animal. Quà rationem, Vt, animal eſt genus. Iuſtitia Dei præciſè concepta non eſt miſericordia.* Falſa, *quæ diſſentit à re altero modo conſideratâ. Cæterùm obſerva hic:* 1. Veritas *hic docetur inſtrumentalis & Logica, non realis & Phyſica, quæ omnium diſciplinarum eſt: Complexa, non incomplexa.* 2. Falſum *indicando & vindicando inſtrumentaliter, æquè in Log. doceri debet, ac verum, Aequè enim Logica falſi eſt index &*

vindex

vindex, ac veri. Co. D. I. M. c. I. c. 3. q. II. *Ramei quidã id negant*, Vt Sagittarius d. II. Log. q: 7. Sed malè. *Et prop. falsa* vel tantùm falsa est, vel insuper falsificans & *destruens seipsam. Vt ego juro, me nunquam jurare. Ego sum mutus, qui non loquor. Hæc vulgò insolubilia dicuntur, de quibus* Mendozam d. 4. sum. s 7. §. 26. Stengelium p. 2. d. syll. c. I. Gellium l. 5. N. A. c. 10. Lactantium l. 4. d. fals. sap. aliosq́; vide. 3. Vera ut vera *propositio gradus non admittit, & si ut taliter vel taliter vera: & sic una intensiùs est vera, quàm altera, propter plures veritatis suæ causas.* Conf. Sam. d. Lubl. in l. I. d. int. c. I. ar. 5. 4. Vera propositio, *semel vera & legitimo sensu intellecta, nunquam est falsa, Contradictoria enim hæc, & in ipsam rem simùl cadere non possunt: Sed alibi vel planè ignoratur, vel ut impertinens removetur, vel diversus considerandi modus conciliatur, vel ut diversæ tantùm, non adversa, admittitur. Huc pertinent, quæ de unâ veritate à Clariss Philosophorũ*, Cor. & J. Martinis, Grauvero, Scheiblero, Gutkio, Keslero, Vedelio, Keckermanno, Timplero, *contra osores veritatis* sunt disputata. Verum enim ex naturâ objecti, *de quo enuntiat, æstimandum, non subjecti, à quo enuntiatur. Et nonnisi absurdissimè dicitur; Ethnicum & impium, si dicat, DEum esse justum & veracem, falsum dicere, si idem fidelis dicat, verum dicere, Vt quondam* Hoffmannus, Olearius, Kittelmannus, *aliiq. delirârunt, de quo in Coron: Gy. Logici plura fortasse.* 5. Omnis propositio affirmatè vera *ad Synonymam aut paronymam est revocanda, Nullum hic* medium tertium, vel neutrum est. *Et secùs nullus veritatis eruendæ generalis Terminus Logico relinquitur, quod absurdissimum. Velut si concedas domum, & neges fundamentum. Hæc ergò Enuntiata af-*

mantia omnia, sive usitata, s. inusitata, naturalia aut praeternaturalia, communia aut mystica, transcendentia a. eminentiia, personalia aut sacramentalia fuerint, quà veritatem Logicè revocanda, Ex eorumq́; respectu judicanda & examinanda sunt, Vt alibi plurib. docebo. V. & d. 2. t. 22. 23. seq. 6. Rectiùs hæc Divisio *à materiâ dicitur, quàm cum Rameis à* Judicio, *quod æquè in affirmante & negante est, quàm vera & falsa.* Con. D.I.M. l. 2. di. Ra. c. 1. q. 1. & 3. *Plura de veritate ad doctrinam de animâ pertinent, ut benè* Mendoza d. 8. Log. § 1. & 18.

28. II. Propositio vel est necessaria vel contingens. *Divisio hæc sumitur* & generaliter, *ut & veræ & falsæ competat. Sic Necessaria, cujus prædicatum in omni materiâ procedit, Vt, verum, homo est animal; falsum, homo est asinus;* Contingens, *cujus prædicatum in quadam. Vt Verum, homo est dives: falsum rusticus est doctus:* Et specialiter, *ut veræ tantùm competat ejusq́; subdivisio sit. Sic necessaria, Cujus prædicatum immutabiliter cohæret subjecto, Vt, Homo est animal: Contingens, cujus prædicatum mutabiliter. Vt. homo est albus.* Necessaria est vel nudè necessaria, *quæ non attentâ materiâ demonstrativâ est talis, ut & universalis negans, Vt, Nullus homo est leo, & particularis affirmans, Vt, Quædam creatura est corporea:* vel apodicticè, *quæ ad materiam demonstrativam est necessaria. Et constat 3. gradibus, κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, & καθόλȣ πρῶτον. Vbi requiruntur propositiones* veræ, affirmantes, universales, necessariæ. *De his, in materiâ demonstrationis* d. 13. t. 16. 17. seq. *plura tradentur. III.* Prop. vel est naturalis vel præternaturalis, *quæ ex alio, quàm natura principio, prædicatum de subjecto dicit. Et iterũ* varia *est, ut vel ex artificio, vel monstro, vel miraculo, vel mysterio procedat.* IV. Vel obscura vel clara Ex modis enuntiandi vel universalis, vel particularis, *indefinita & singularis est. Definitiones ex authoribus sumantur. Hic chartarum defectu abrumpere cogimur.*



H. NICOLAI
OPERA.
TOMUS II.